



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 75. Marci Antonii Ansidei Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

riofissimum imposuit, Patavii die 27. ^{Sæc. XVIII.}
 Januarii, sepultus in sua Cathedrali ^{A. C. 1730.}
 prope tumulum sui Patruī Gregorii
 Cardinalis Barbadici, quem inter Bea-
 tos referri, plurimum adlaborabat, quin
 id assequi posset; primum enim Anno
 1760. Venerabilis hic Dei Famulus
 a Clemente XIII. Beatorum Albo in-
 scriptus fuit.

§. LXXV.

*Marci Antonii Ansidei Cardinalis
 obitus.*

Sequentis Mensis Februarii die deci-
 ma quarta eandem æternitatis viam
 ingressus est Marcus Antonius Ansi-
 deus, qui ex Patritia stirpe Perusii or-
 tus, ingenii aciem, qua primævo na-
 turæ beneficio præditus erat, paren-
 tum cura, Magistrorum præstantia &
 potissimum propria industria mirifice
 excoluit. Decimum quartum ætatis
 annum agebat, cum Romam missus in
 Collegio Clementino diversorum idio-
 matum cognitionem, Philosophiæ præ-
 cepta, & Theologiæ arcana sub eru-
 ditissimis Institutoribus ex Congrega-
 tione Patrum de Somascha non tam
 percepisse, quam exhaustisse videbatur.
 Jurisprudentiæ tam egregiam navabat
 operam, ut laurea decoratus e Patria
 Ro-

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.

Romam reverteretur, ibidemque
lustrum Jurisconsultorum, aliorumque
præstantium Virorum consortio affide-
rit, in Advocatum omnibus numeris
absolutum excresceret. Annus volu-
ebatur supra millesimum septingentesi-
mus secundus, quo Ansideus a Cle-
mente XI. inter Præsules adscribi me-
ruit, ac paulopost utriusque, ut vocatur
signaturæ, Referendarius, & priorum
aliquot locorum Patronus, necnon Con-
gregationis, quæ de bono Regimine
nomen habet, Præsul nominatus est.
Quarto autem post anno signaturæ Je-
suitarum, ac Cameræ Auditor, necnon
Canonicus Basilicæ D. Petri renunciat-
us, ob assiduos, quos in obeundis ad-
dus Ecclesiæ officiis exantlabat, labo-
res magnam quidem in Romanâ Curia
existimationem sibi conciliavit, letum
tamen infirmitate correptus ad ultimam
vitæ discrimen adductus credebatur.
Recuperata demum valetudine in exi-
mio Assessoris S. Inquisitionis munere
socius dabatur ægrotanti Dominico de
Zaulis Theodosienâ Archiepiscopo, quo
vix erepto Ansideus hunc Magistratu-
m solus accepit, pluresque per an-
nos non sine maxima laude exercuit,
titulo demum Archiepiscopi Damia-
tensis honoratus, a Benedicto XIII.
Perusinam Insulam Anno 1724. obiit.

nuit, & sequenti anno nomine Capi-
 tuli Vaticani Synodo Lateranensi præ-
 fuit. Suffragium tulerat in sex omnino
 Congregationibus, præcipue in ea,
 quæ pro examinandis duodecim Noaillii
 articulis habebatur, quos tamen ipse
 nec omnino rejecit, nec ex integro ap-
 probavit. Tandem anno salutis nostræ
 millesimo septingentesimo vigesimo sexto
 Purpura honestatus, Romam venit, mox
 tamen ad Perusinum gregem suum bo-
 nus Pastor reversus, pertinaci morbo
 obrutus anno ætatis suæ quinquagesi-
 mo nono decessit. Corpus ejus solemniter
 pompa elatum in Ecclesia sua titulari
 ad S. Augustinum quiescit. Præsul e-
 rat perenni memoria dignissimus, quem
 scientiarum præstantia, rerum geren-
 darum dexteritas, æquitatis studium
 pluresque aliæ eminentissimæ animi
 dotes plurimum commendabant. Car-
 pitur tamen a nonnullis ob præcipites
 iræ motus nimiamque severitatem,
 quam tamen administrandæ justitiæ,
 criminumque ulciscendorum ardor ex-
 cusare videtur.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1730.

§. LXXVI.

*Fratris Augustini de Pipia Cardinalis
 decessus.*

Tertius